

DE MORIBVS VETERVM HÆRE- TICORVM LIBELLVS,

nunc denuò ab autore G. Vuicelio
recognitus & auctus.

PAVLVS ait:

*Oportet hæreses esse inter vos, vt qui
probati sunt, manifesti fiant inter vos.*



PARISIIS, - CC

Apud Guilielmum Chaudiere, via
Iacobæa, sub Temporis insigni.

M. D. LXIII.

820245498

D. E. M. O. R. I. B. V. S.
V. E. T. E. R. V. M. H. E. R. E. T. I. C. O. R. U. M.
T. Y. P. O. G. R. A. P. H. U. S. L. E. C. T. O. R. I. S.

Typographus Lectori, S.

Hunc Libellum De moribus veterum hereticorum inscriptum, Lipsiæ impressum 1537. in 8. Bibliotheca Tigurina Vuesselo, id est, Basilio ascribit, Groningesi, natione Frisio, sed valde falso, nisi valde fallor. Nam cum eadem citet ex Lutheri in Farraginem eiusdem Vuesseli præfatione, sic utriusque spiritum in unum conspiravisse, ut potuerit alter ex altero hausisse videri, & aut Vuesselizare Lutherus, aut Lutherizare Vuesselus: hic liber è contrario adedò nec Vuesselizat, nec Lutherizat, ut veterum hereticorum nomine atque prætextu, Lutherum ac Lutheranos, dum hos cum illis comparat, depingere atque traducere huius opusculi, qui tandem cunque fuerit, autor, opera dedita intenderit: quem verisimilius loquuntur, qui Vuesselium inscripserunt, Lutheri nimirum non præcessorem aut successorem, sed vehementem (si quis alius fuit) antagonistam. Vale Lutetiæ, 1563. mense Martio.

Apud Gulielmum Cuperum
Jacobus de Tournibus
M. D. LXXIII.



ONNIHIL in me stoma-
 chari videris, amice homo,
 propter impugnatum Lu-
 therismon: Ais pium iux-
 ta ac eruditum sodalitium
 fuisse clementius tractandum, nec vsque
 adeò ad me pertinere, sicubi isthic erre-
 tur aut peccetur. Equidem nihil miror
 stomachum tuum, quum id exigat na-
 tura Factionis, vt quò quisque in hac
 maior est, eò adficiatur acrius, si illi insti-
 tuto repugnetur. Malim autem te indi-
 gnantem, quàm irascētem Deum ferre.
 In huius manus incidere, id demum est
 maius malū. Lutherismon impugnaui
 fateor, at non paulo clementius quàm
 ipse me. Ego cur id facerem, habui iustif-
 simas causas: Ipse contrà, ne vnā qui-
 dem. Atque vt donem, ad me nihil per-
 tinere, si quid Secta ista, aut errēt, aut pec-
 cet, attamen ita ferebat res, vt me no-
 lentem etiam oportuerit scribere. Nam
 posteaquam sine dissimulatione me à
 factiosorum consortio seiunxi, pericli-
 tari de fide cœpi apud omnes, dum alius

Per eundem G. Vuicelium.

- E**rrant, qui Fidem tam rarum Dei donum sine causa faciunt.
2. Errant, qui donum faciunt tam incertum, nempe quod cras adimatur ei, qui hodie habeat.
 3. Errant, qui docent tam incertos adultos nos esse an credamus, quàm incerti de infantibus simus, an credant.
 4. Errant, qui secus diffiniunt fidem, quàm eam diffinierunt sacræ literæ, quique eam aliis verbis extulerunt.
 5. Errant, qui fidei ceu Deo ascribunt operationem operum certissimam.
 6. Errant, qui negant Christianum populum hætenus fidem habuisse.
 7. Errant, qui negant malos in Ecclesia credere posse.
 8. Errant, qui iustificandi verbum aliter interpretantur, quàm debet.
 9. Errant, qui affirmant fidem & charitatem idem esse, nec magis separari, quàm separetur ignis & calor.

AXIOMATA DE
OPERIBVS.

Per eundem G. Vuicelium.

NVllis vel sanctissimis operibus aut meritis tribuendum est, quòd optimus Deus hominem condidit, & illi omnia subiecit.

2. Nullis operibus aut meritis tribuendum est, quòd misericordissimus Deus tot tantàque humano generi promisit.
3. Nullis operibus aut meritis tribuendum est, quòd amantissimus Deus filium suum in terras misit, carne indutum.
4. Nullis operibus aut meritis tribuendum est, quòd filius ille Dei natus, mortuus, excitatus, atque in cœlum receptus est.
5. Nullis operibus aut meritis tribuendum est, quòd spiritum sanctum paracletum demisit.
6. Et, vt de effectu atque fructu mysterij totius loquar, nullis operibus aut meritis tribuendum, quòd redemit